



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi  
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

**Acquaviva, Claudio**

**Coloniæ Ubiorum, 1616**

82 Defecerunt oculi mei on eloquium tuum, dicentes: Quando consolaberis  
me?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

IN PSAL. CXVIII. 455

lunt, respicientes in vanitates, & infan-  
nias falsas: qui verè deficiunt, quia defi-  
cientibus inhærentes à seipsis deficiunt.  
At ego, & anima mea salutare, ac viuifico  
defectu in salutare tuum deficiamus, quo ad  
eius similitudinem, & immutabilem sta-  
bilitatem proficimus. Quod non teme-  
rè audeo, quia in Verbum tuum superspe-  
raui, vel in ipsum Verbum, quod carne  
vestiendum salutare expecto; vel in ipsam  
salutis promissionem: quia verbum tuum  
fidele est, nec perire potest, quia tu  
Deus es.

82 Defecerunt oculi mei in eloquium  
tuum, dicentes: Quando conso-  
laberis me?

**D**ESCRIBITVR fidelis, & perseue-  
rans expectatio opis, & consolationis  
Diuinæ in afflictione. Oculi corporis  
solent semper intenti esse, eo spectare,  
unde suum bonum expectant. Idè oculi  
seruorum in manibus dominorum suo-  
rum, oculi ancillæ in manibus dominae  
suae. Neque aliter oculi animæ. Pro-  
pterea defecerunt, inquit, oculi mei, uti-  
que mentis meæ, præ desiderio, & expe-  
ctatione consolationis tuæ; intenti, ac de-  
fixi in eloquium tuum, velut in syngra-  
pham, & pignus promissionis tuæ. Desi-  
derium eorum, & Actus, clamor est eo-  
rum:

Oculis  
defectus  
tribuitur.  
Primo ex  
naturali  
effectu.  
Psal. 122.

**Secundò,** rum: ideò ipsi dicunt. Quando consolaberis me? Ne immeritò expectationem, & postulationem salutis, & consolationis

**quia fidē** oculis tribuo, quia ipsi sunt, qui acutè inspiciunt te. Languidè enim, & frustra, nec perseveranter desiderarem, & expectarem, nisi oculi fidei, & intellectus te aspicerent omnia videntem, omnia regentem, omnia

**2. Cor. 1.**

potentem, Deum misericordiarum, & nō vnius, sed totius consolationis. Ad quem enim confugerem, nisi talem te tales oculi contemplerentur? Hi nimirum oculi clamant. Quando consolaberis me? Quādiu expectare facies oculos pauperis? Vox radiosæ expectationis, & longissimæ

**Consolatio à solo Deo.**

dilationis, vox ista, Quando? est. Meritò deficiunt dicentes, Quando? Frustra verò ad alium confugerem pro consolatione, quia quæcunque creata sunt, nec volunt, nec possunt me consolari. Tu autem consolaris me non solum à malis erueno, à persecutoribus præservando, sed etiam auxilium pollicendo; suaviter alloquendo: quia eloquium tuum dulce, æterna promittendo. Denique tua illa vox est. Sicut mater consolatur filios suos, sic & ego consolabor vos. Et verbum tuum, verbum solatiij vocatur: & ab vberibus consolationis per Prophetam inuitas, vestigamus.

**Isai. 66.**